

Disputatio quando sit lectionibus exercitiisve interponenda,
peculiariter denunciabitur.

2. Maji, Rector.

A. 2. MAJI 1584. Pro tertia classe D. Scribonij
lectiones et Exercitia.

Mane hora 6 per totam septimanam docebit dialecticam, quam incipiet 4. maji. Hora 7 die lunae proponat Ciceronis orationem Catilinar. 2. unde analysis repetatur hora 4 pomeridiana. Pestridie vero nempe die martis mane hora 6. memoria ita exerceatur, ut actio commonstretur, ne adventante examine necesse sit auditoribus omnia novo labore denuo discere. Genesis eadem die fiat vesperi hora 4. proposito themate similis sententiae cum lectione habita. Hujus bidui simile erit alterum videlicet diei jovis et Veneris schola: nempe hora 7. diei jovis mane explicabit 5. lib. Aeneid. lectionis habitae analysis poscet hora 4. a meridie, memoriam et actionem postridie videlicet die Veneris mane hora 7 exercebit: Genesin in themate 4. circiter versuum eadem die vesperi hora 4. Exercebit 3 classem domestrae meditationis singulis septimanis unico themate, quod mane hora 7 diei Saturni dictatum, proximi inde Saturni diei eadem hora reposet et corriget. Erit autem latinum et logicum hoc exercitium scribendj, et alternis vicibus prosa et carmen.

Thema prosae potest ut plurimum esse quaestionis, ut vulgo vocant, simplicis. Cujus inventa argumenta tradentur imitatione eorum exemplorum, quae in dialectica citantur. Ejus rei specimen singulis mensibus ipse exhibeat, et aliquot similia continuis septimanis subjiciat. Attamen eruditiores post tertium mensem declamatiunculam epistolarem possunt exhibere. Similitudo cum oratione Ciceronis est servanda, operaque danda, ut ita mature finiatur oratio, ut etiam possit una atque altera epistola Ciceronis ex insignioribus proponi, ut semper etiam ad lectionem et utilitatem illarum epistolarum juventus inflammetur. Omnis textus artium et eloquentiae memoriae mandetur.

Hic ut exemplo suo proposito auditoribus non dignabatur ipse eadem cum discipulis memoriae mandare.